

am. Iter Extaticum Kircherianum. Scheinerum & cœteros. Succedant itaque.

Faculæ.

§. 1. Consideravimus hætenus, maculas, tanquam partes obscuriores in ipso solari hærentes corpore lucidissimo. Promoveamus jam pedem, extra Solem, & Faculas lucentes ad Examen vocemus. Quarum veritatem eadem ratione atque macularum probare possumus. Observarunt enim Mathematici ut multa alia, Faculas quasdam in Sole, Tubi Optici beneficio. Credendum verò est, observationibus accuratis, nec temerè industria summorum Virorum hallucinationis est accusanda, inquit. *Excell. Dn. Calovius.* Interim tamen delectum habere oportet, & ea, quæ uni apparuerunt tantum, non protinus accipienda. Nisi enim & alii idem observaverint, res suspecta admodum est. Dein neq; conclusionibus ullius observatoris fides simpliciter adhibenda est, sed contenti esse debent illi, si relationibus & observationibus eorum fidamus. *Scheinerus* harum facularum primus inventor communiter salutatus, cujus laudabile conamen, multi Mathematicorum feliciter sectati sunt, præprimis, *Cornæus, Kircherus,* & omnium maximè *Hevelius.*

§. 2. De harum verò Natura & substantiâ, non eadem omnium opinio, sed in multas sententias Natura earum Doctos fecavit. *Schottus in Scholiis ad Iter Kircherianum* hanc fovet opinionem: *Ajo, inquit, Faculas Solis partim esse globos igneos ingentes, quæ è montium flammivomorum crateribus magno impetu & copiâ erumpunt, & inter circumfusas nebulas & fuligines effulgent, & aliquando quidem subito disparent, aliquando ad tempus aliquod perseverant, partim verò esse effervescentias Oceani Solaris, qui cum vehementia subjeeti ignis subterranei s. subsolaris, ebullit solito copiosius, & ingentes fluctus instar altissimorum montium in altum extollit, iterumq; in profundum demittit.* Alij non ex infimis hæc mens est: